

ri Deus: aut continebit in ira sua misericordias suas? Resp. misericordiam imperitam esse electis. Sed num unam tantum benedictionem habes? Nobis quoque obsecramus ut benedicas. Frustra: *Vivetis in gladio et fratribus vestris servietis*, Gen. XXVII. Et hoc in scopulo impexit Origenes: quem tamen refellit S. Augustin. et Scriptura ipsa clare ac sine appendice loquens: *Discedite a me maledicti in ignem æternum: et: Ibunt hi in supplicium æternum*, Matth. XXV.

IV. Transeamus ad januam meriti et promittamus quancumque satisfactionem, et seriam vitæ emendationem, dicamusque: Domine, quid faciendo vitam æternam possidebimus? Nisi non sufficit servare præcepta decem, servabimus mille. Sed auditur: *Nescio vos*. Imo Domine ibimus comparatum oleum, licet in ardentibus prunis usque ad montem Sinai sit eundem, et efferendum oleum S. Catharinæ; sed adhuc auditur: *Nescio vos*. Si nec istud satis est, jurabimus etiam in consilia tua et rigidissimam omnium intrabimus religionem, licet usque ad millenos annos in ea nobis permenendum sit. Adhuc audimus: *Nescio vos*. Addeamus ergo inauditam contritionem super delicta nostra, et oceanu mimplebimus lacrymis nostris, adeoque infernum ipsum, modo concedas ut hunc ignem tandem iis extinguere possimus; sed respondetur: *Nescio vos*. Quid si faceremus, quod Lucifer aliquando facere paratus erat, ut per columnam ferream acutissimis cultris instructam et hinc ad cælum usque pertingentem, reperemus usque ad cælum et inde rursus ad infernum, idque per millies millenos continuaremus annos? Annon postea saltem carcerem hunc aperires Domine? Sed nulla responsio: *Clausa est janua*; siquidem et fatuæ virginis ibant comparatum oleum, hoc est, desiderabant bene operari, et paratæ erant ad operandum, sed nihil illis profuit, et januam clausam invenerunt. O maledicta janua, quis adeo te occlusit? Cur saltem non moveris ad tantas promissiones? Sed respondet Sanctus Joannes, Apoc. X. *Quia angelus Domini in iudicio juravit per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius*. Unde Sanctus Damascenus ait, homini peccatori idem esse mortem, quod casum Lucifero; quia ut is post casum resurgere nequit, sic peccator post mortem. Cum Lamachus centurio militem inereparet, illeque diceret se deinceps nihil tale admissurum, respondit Lamachus: *In bello non licet bis peccare*, ut refert Plutarchus, in Lacon. Ad eundem modum peccatori non licet bis mori: semel male mortuus, semper erit mortuus: semel damnatus semper et in omnem æternitatem damnatus; quia

præsens vita unica est vita hominibus, sicut Lucifero primum instans, a Deo ad merendum data, sicut cursoribus designatur meta, quæ sit terminus cursus: ac licet illi, qui prius pigritantes nihil lucrati sunt, vellent ulterius currere et majores adhibere conatus, non auderentur amplius, quia antequam ad metam pervenirent, extendere se ad cursum et viribus uti debebant: unde August. ait hom. XXII. in lib. LXXX. hom. *Finisti vitam, finisti viam*. Dum in vita ergo sumus, currere debemus quantum possumus.

Unde apostolus: *Sic currite, ut comprehendatis*; et Eccles. c. IX. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas*. Sex diebus et non amplius colligebant Israelitæ manna; in septimo, id est, sabbato, non reperiebatur amplius: propterea debuit hoc die jejunare iis, qui prius nihil collegit: propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo in æstate et non dabitur illi: ad hæc Dominus interdum operandum, Joan. IX. expresse monuit: *Venit nox*, inquit, *quando nemo poterit operari*: proverbio dicitur: *Lux radiis non maturescit botrus*: perpetua in inferno nox est; nunquam ergo maturescent vota infernorum.

V. Sed forte janua intercessionis nobis aperietur. O amici Dei, et tu claviger cæli Petre, et tu Regina cæli Maria, vos reliqui cælitæ, qui non nihil potestis impetrare apud Deum, aperite, aperite. Unite vos omnes, juvate parentes vestros, sorores vestras, fratres vestros. Vos omnes virgines sapientes, date nobis de oleo vestro, fructum meritorum vestrorum nobis participate.

Sed quid respondent? *Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, etc.* et quid respondit Abraham epuloni petenti ab eo auxilium? *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est; ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transire*, Luc. XVI.

O chaos metuendum! O rigidissimum interdictum, quod etiam cælitibus prohibet, ne cum inferis quidquam negotii habeant, aut ad illos abeant. Hæc est illa sartago ferrea super murum ferreum, quam Dominus jussit Ezechielem ponere inter se et inter Jerusalem et obfirmare faciem suam ad eam, Ezech. IV. grandis videlicet, et inflexibilis ira Dei, ut exponit S. Hieronymus, quæ non patietur damnatos recurrere ad intercessionem sanctorum; ita, ut si hoc attentarent, inciderent in sartaginem. Unde Psalm. XXXI. dicitur: *Pro hoc (impietate scilicet peccatoris) orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno: verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt*.

VI. Quod igitur nulla spes superest portæ aperiendæ et liberationis nostræ: pulsemus saltem o socii ad ostium gratiæ, ut siquidem hic per omnem æternitatem manendum, saltem obtinere possimus pœnarum talem qualem sublevationem. Quare o cæli terræque domitor, quando patrem te habere non possumus, sed judicem sustinemus, aperi nobis saltem rimam aliquam consolationis alicujus, ut per illam intueri vel radium lucis alicujus possimus: mitiga saltem pœnas: aufer saltem hoc catenarum intolerabile pondus: mitte aliquem, qui vel extremum digiti intingat in aquam et refrigeret linguas nostras: verte saltem nos durissimo in hoc lecto, ad latus aliud, ut paulo mollius cubemus. Sed actum est, frustra est: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, ait Ecclesiast. cap. XI. O grave pondus peccati, o talentum plumbi, quod adeo prosternis hominem et opprimis in inferno (Zachar. V.) ut moveri loco nequeat in omnem æternitatem! Et quid tandem fit, ut tantum onus peccati in hac vita non sentiamus, imo multorum onera peccatorum tam leviter portemus, quasi plumæ forent? Nunc, nunc opinor apertos nobis esse oculos, et constare, quid sint tria illa verba, siquidem ex his omnibus patet omnem omnino januam cujuscumque tandem spei præclusam esse inferis.

Sicut enim, qui in flumen lapsus est nave cedente, quocumque extendat manus, non invenit nisi liquidam, et fugitivam aquam, quæ non sublevat mergendum, sed potius suffocat: sic evenit damnatis, ita ut omnes creaturæ contra illos conjurasse videantur. In omnibus mundi calamitatibus et miseriis reperire est aliquod refugium, ex quo afflicti interdum respirent, nunc lectio, nunc colloquium, nunc amicorum aspectus et præsentia fallit tempus, quemadmodum et in mundo nulla tam obserata est janua, quæ modo aliquo non aperiri possit: sola illa janua nullis aperitur machinis. O janua crudelis! O dira obseratio! O claustrum maledictum! Quis tandem fabricavit maledictas istas seras? O janua! O janua! Oculi omnium nostrum tot millies millenorum, in te stant intenti. Et quando tandem te movebis? Hæc et similia in omnem æternitatem volvent animo et revolvent damnati. Et quid putatis cogituros cum claustrum illud primo ingredientur; itane vero in hoc loco, dicent: Tam miserabili æternum nobis manendum est? Itane nunquam hinc pedem effereamus? Nunquamne amplius videbimus hanc januam aperiri, quamdiu Deus vivit? O quam fideliter id nobis prædictum est? Nunc experi-

mur. Quid agimus ergo Christiani quod ad illam januam nunquam hic oculos conjicimus? Omne nostrum studium respicit fluxa et caduca bona: omne nostrum tempus impendimus huic mundo; carcerem vero illum perpetuum tam parum curamus, ac si unius diei vel septimanæ captivitas esset. Quid si nos ex illis futuri essemus, quibus clausa erit janua? Quare qui sibi vult patere ostium cæli, hic apertum quærat: *Hic ostium pœnitentiæ apertum est*, ait S. Ephrem. serm. I. de pœnitentiâ, *festina peccator priusquam occludatur: ignoras qua hora celestis medicus ostium medicinæ suæ claudi jussurus sit*. Qui timet ne ingrue nocte excludatur ex civitate, currit, clamat, orat, ne excludatur. Et quid est excludi per noctem e civitate? Quid cubare sub dio una nocte? Ecur igitur non potius operam damus, ut ne æterna nobis porta præcludatur?

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Quæ decem illæ virgines? — II. Quid oleum, lampas, ignis? — III. Quid obviam sponso? Quid mora sponsi? — IV. Quid somnus et dormitatio virginum? — V. Quid clamor media nocte? Quid ornatus lampadum? — VI. Quid postulatio fatuarum? — VII. Quid reditus, pulsatio, rejectio insipientum?

THEMA.

Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Matth. XXV.

Videntur mihi auditores, prudentes imitari virgines, quicumque verbum Dei sedulo audiunt et retinent in corde suo. Quid enim verbum Dei præsertim in concione expositum, nisi oleum illuminans seu lucerna ardens? Sic enim David, Psal. XI. ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis*. — et iterum: *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis*. Hoc ergo Dei verbum in vasis et lampadibus suis accipiunt, qui in aure et corde suscipiunt ad dirigendos gressus suos; et hinc sapientes sunt; fatui e contra, qui verbum Dei spernunt. Cæterum quia in hodierna parabola multa sunt obscura et abdita, lucerna accendenda est, ut ea investigemus.

I. Quæ sunt illæ decem virgines? Respondetur esse fideles, quia sicut virginitas servat corpus incorruptum: ita fides mentem servat inviolatam a perfidia et hæresi. Virgines igitur esse debent, id est, fide integri et incorrupti, nullis prorsus erroribus fidei implicati, qui Christo jungi volunt,

imo etiam qui ante tribunal Christi sisti, ut referant mercedem debitam; reliqui enim iudicio non egent, quia: *Qui non credit, jam iudicatus est*, Joan. III.

Discite hinc primo, amorem Christi erga nos talem esse, qualem sponsus ad virginem sponsam habet. Discite et amare ac desiderare Christum; hoc enim facit sponsa sponso, ad quem se quotidie dicitur venturam.

Discite secundo, servare fidem sponso, usque ad diem connubii et nuptiarum, quæ in cælo erunt. Hoc enim requirebat apostolus Corinthiorum paronymus in Corinthiis, cum dicebat: *Æmulor vos Dei æmulatione; despondi enim vos uno viro virginem castam exhibere Christo*, II. Cor. XI. atqui: *Virginitas mentis est integra fides, solida spes, sincera charitas*, inquit S. August. tract. in Joan. tom. VI. Adulteratur ergo et meretricatur anima, cum infidelitati, peccatis et suggestionibus diaboli consentit.

II. Quid oleum, lampas, ignis? Respond. lampas animam fidelem significat, fide exornatam. Lampas inferne angusta et clausa, superne vero ampla et patula est, et talis esse fidelis debet: terrena scilicet modice, cælestia toto pectore amare et desiderare; illis cor occludere, istis reserare.

Oleum bona opera denotat, præsertim misericordiæ; quia hæc ignem charitatis in anima conservant et fovent; deinde oleum liquoribus aliis supernat: ita bona opera non terrenam sed supernam quærunt mercedem. Denique, ut oleum cibos condit et impingat: ita bona opera animam. Sapientes de hoc oleo copiose sibi providerunt: fatuæ vero modice et insufficienter.

Ignis charitatem seu gratiam in anima divinitus accensam exprimit. Primo, quia ut lucerna sine igne mortua est et inutilis: ita fidelis sine charitate seu gratia. Hinc in veteri lege præceptum erat, Levit. VI. *Ignis in altari semper ardebit*, ad indicandum, quod nos ignem gratiæ semper in pectore gestare deberemus omnique cura fovere, ne aliquando extinguatur.

Secundo, quia ut ignis lucernam et vicina omnia reddit lucida et quodammodo aurea: sic gratia opera nostra omnia facit quasi cælestia, quia meritoria vitæ æternæ.

Quod vero fatuæ post mortem dicunt: Lampades nostræ extinguuntur; vel non explicandum, vel significat extinctæ sunt.

III. Quid obviam ire sponso? Quid mora sponsi? Respondetur, obviam imus sponso, dum quotidie imo omni momento magis et magis accedimus ad mortem, in qua occurret nobis sponsus: unde veteres vitæ suæ cursum vocarunt peregrinationem.

Mora sponsi tempus pœnitentiæ et vitæ nobis concessum indicat; vel, si ad omnes referatur, significat tempus intermedium ab ascensione Christi usque ad ejus adventum in iudicio. Cæterum tempus illud nobis concessum videtur nobis esse mora seu tardatio, cum advertimus peccata nostra aliquamdiu manere impunita; quemadmodum videbatur illi, qui dicebat: *Moram facit dominus meus venire*; ideoque cœpit percutere conservos suos, manducare et bibere cum ebriosis: revera tamen mora non est, sed cursus Dei ad vindictam: unde Habacuc II. dicitur: *Veniens veniet et non tardabit*. Quod explicans de secundo Christi adventu apostolus ad Hebræos X. ait: *Adhuc modicum aliquantulum qui venturus est veniet et non tardabit*.

Nobis videtur stare sol, celerrime interim currit, percurrrens singulis horis centum quadraginta millia milliaria: sic exigua Christi mora videtur nobis longa, Christo vero est modica; quia: *Mille anni ante oculos ejus tanquam dies hesternæ*.

IV. Quid somnus et dormitatio virginum? Respondetur, ad litteram significat mortem, quia omnes veluti a somno, ita a morte in iudicio excitabuntur; vel dormitatio significat infirmitates mortem præcedentes, somnus ipsam mortem; vel dormitatio significat mortem sapientum et justorum, eo quod mortem et tempus tantum sustineant cum spe certa resurrectionis; somnus vero mortem insipientum et malorum, qui nullam spem ad resurrectionem vitæ habent.

Moraliter: « Sunt quidam (inquit S. Augustinus in illud Psal. CXXXI. *Si dederò somnum oculis meis*) qui non dormiunt sed dormitant; aliquantulum retrahunt se ab amore temporalium, et rursus revolvuntur in eum et quasi dormitantes caput crebro inclinant. Evigila, excute somnum, dormitando casurus es, etc. » Sic ille Proinde dormiunt, qui amoris temporalium rerum totos sese dedunt. Bonus et prudens Christi servus curat non modo, ne in peccatis non obdormiat sed etiam ne dormitet. Talis erat David, qui dicebat: *Si dederò somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem!* q. d. absit ut hoc faciam.

V. Quid clamor media in nocte? Quid ornatus lampadum? Respond. clamor in media nocte significat novissimam tubam, qua tempore omnibus ignoto, vel omnium perditissimo, vel cum omnia in terra silebunt utpote extincta et sepulta convocabimur ad iudicium. Clamor autem vocatur tuba illa, quia fortiter personabit in toto orbe; et quia clamores excitabit in hominibus: in electis quidem clamorem jubilantium, in reprobis vero clamorem ejulantium; vel clamor etiam

erit perturbatio elementorum iudicium præcessura, quia totus mundus clamabit contra reprobos.

Ornatus lampadum indicat sollicitudinem iudicandorum, qui toto mox conatu convertent oculos mentis ad suas conscientias ut videant, utrum sint parati: numerabunt peccata sua, necnon et bona quæ fecerunt, opera, eaque discutient.

Vel ornabunt lampades suas, dum animæ resument corpora sua: justæ quidem splendida et rutilantia; reproba vero obscura et tenebrosa.

VI. Quid postulatio fatuarum: *Date nobis de oleo vestro?* Et quid responsio prudentum: *Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes?* Respond. postulatio fatuarum significat inania et frustranea impiorum vota, quibus optabant sibi multa bona opera, amicos factos de mammona iniquitatis, sanctos conciliatos, etc. ut ita moneamur nos, tempestive nobis hæc propicere; siquidem ibi prospiciendi et mendicandi tempus non erit.

Proinde responsio sapientum, irrisio est fatuarum, quæ sibi in tempore non prospexerunt. Aiunt ergo in iudicio locum non esse parandi opera, nec alteri sua communicandi, quando suis quisque indiget, et ut I. Petr. IV. dicitur: *Iustus vix salvabitur*, quia etiam justus indiget misericordia Dei, qua præcisa in operibus suis nequit gloriari; quid enim habet, quod non acceperit? Unde S. Augustinus orans pro anima matris suæ, licet sanctissimæ, ait: *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam*. Quod autem ad vendentes mittuntur fatuæ pro coemendo oleo; nobis dicitur, qui dum adhuc possumus, emere jubemur gratiam et opera bona. Vendentes sunt pauperes, qui pro eleemosyna; sunt sacerdotes, qui pro pœnitentiâ; sunt sancti, qui pro sui invocatione; sanctorum vitæ et libri pii, qui pro labore lectionis et meditationis vendunt nobis gratiam. S. Augustinus, serm. XXIII. de verbis Domini, et S. Gregorius, hom. XII. in evangelia, putant per vendentes intelligi adultores. Existimant enim prudentes virgines designare eos, qui propter Deum operantur; fatuas vero eos, qui propter vanam gloriam. Istis ergo cum se deceptos viderint, recte dicitur: *Ite ad vendentes*, id est, ad eos, qui vobis laudes vendere solebant, adultores. Quid enim oleum leniens et ungens, nisi verba adulatoria? Hinc psalmista, Psalm. CXL. dicebat: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*.

VII. Quid sibi vult redivus, pulsatio et rejectio fatuarum? Respond. nihil aliud velle quam seram

et inanem reproborum pœnitentiâ, de qua Sap. V. legitur: *Videntes turbabuntur timore horribili, etc. pœnitentiâ agentes et præ angustia spiritus gementes*. Reditus ergo et instantia illa (*Domine, Domine, aperi nobis*) fatuarum significat ardentem et naturalem appetitionem beatitudinis remanentem etiam in damnatis, quamvis sine ordine justitiæ. Et licet sciant hoc desiderium impleri non posse, nihilominus tamen in pœnam et tormentum retinebunt in æternum istud desiderium et ardentem beatitudinis sitim, nunquam extinguendam.

Et forsitan hæc fuit, Luc. XVI. sitis epulonis, cum refrigerari petiit linguam suam vel uno intincto digito. Hoc etiam apud poetas designavit sitis Tantali mediis in aquis siti æstuantis.

Rejectio fatuarum indicant reprobos a Deo alienos et alieno charactere insignitos esse, ideoque a pastore Christo pro ovibus non agnosci. Quam deforme monstrum putatis est peccator, quia Deo, cujus oculis omnia patent, non agnoscitur? *Vigilate itaque*, ait Dominus, *quia nescitis diem neque horam*. Vigilat qui in excubiis est, ne eum mors imparatum inveniat. Et quemadmodum navis onerata accinctaque ad iter, nec aliud quam secundum ventum expectans, ut e portu solvat, admonet viatorem, qui in ea navigaturus est, ut vigilans sit et sollicitus, nec occasionem navigandi negligat: ita nos, cum in singulos dies et horas nobis ex hac vita solvendum sit, decet, ut per omnia semper accincti et parati simus.

Nemo dicat hanc parabolam ad se non pertinere, sed ad eos tantum, qui extremo proximi sunt iudicio; quod enim ibi fiet, etiam accidere solet in cujusvis morte. Nam ibi lampades impiorum, quæ nunc splendere videntur in oculis hominum, ante iudicis oculos obscurabuntur et extinguentur: Ibi quoque erit recursus ad sanctos et alios pios, ut pro morituris deprecetur venientem sponsum. Erit et festinatio ad vendentes, id est, ad sacerdotes pro remediis animæ. Propterea Dominus Marci XIII. ait: *Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate*.

Iphicrates Atheniensis belli dux, etiam tempore induciarum excubias agebat, propugnacula extruebat, omniaque solliciti ducis munia obibat, et ob id rogatus, hoc se facere dicebat, ne aliquando ex improviso invaderetur et tunc ad vulgarem illam ignavorum hominum excusationem: *Non putabam*, confugere deberet, Plut. de dictis reg. Quanto nobis Christianis solertius vigilandum et bonis operibus insistendum est, ne aliquando repentina morte præventi, dicamus: *Non putabam*.